

Oratio

Claudius Caesar

Column I

mae rerum nostr sii |

Equidem primam omnium illam cogitationem hominum, quam | maxime primam occursuram mihi provideo, deprecor, ne | quasi novam istam rem introduci exhorrescatis, sed illa | potius cogitetis, quam multa in hac civitate novata sint, et | quidem statim ab origine urbis nostrae in quod formas | statusque respublica nostra diducta sit. |

Quondam reges hanc tenere urbem, nec tamen domesticis successoribus eam tradere contigit. Supervenere aieni et quidem exter | ni, ut Numa Romulo succederet ex Sabinis veniens, vicinus qui | dem, sed tunc externus, ut Anco Marcio Priscus Tarquinius. Is | propter temeratum sanguinem, quod patre Demaratho Co | rinthio natus erat et Tarquiniensi matre generosa, sed inopi | ut quae tali marito necesse habuerit succumbere, cum domi re | pelleretur a gerendis honoribus, postquam Romam migravit, | regnum adeptus est. Huic quoque et filio nepotivae eius (nam et | hoc inter auctores discrepat) insertus Servius Tullius, si nostros | sequimur, captivus natus Oeresia; Si Tuscos, Caeli quondam Vi | vennae sodalis fidelissimus omnique eius casus comes, post | quam varia fortuna exactus cum omnibus reliquis Caeliani exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupavit et a duce suo | Caelio ita appellatus, mutatoque nomine (nam Tusce Mastarna | ei nomen erat) ita appellatus est, ut dixi, et regnum summa cum rei | p. utilitate optinuit. Deinde postquam Tarquini Superbi mores in | visi civitati nostrae esse coeperunt, qua ipsius qua filiorum eius, | nempe peritum est mentes regni, et ad consules, annuos magis | tratus, administratio rei p. translata est. |

Quid nunc commemorem dictaturae hoc ipso consulari impe | ium valentius repertum apud maiores nostros quo in as | perioribus bellis aut in civili motu difficiliore uterentur? | aut in auxilium plebis creatos tribunos plebei? Quid a consa | libus ad decemviros translatum imperium, solutoque postea decemvirali regno ad consules rursus reditum? Quid in plu | ris distributum consulare imperium, tribunosque militum | consulari imperio appellatos, qui seni et saepe octoni crearen | tur? Quid communicatos postremo cum plebe honores non imperii | solum, sed sacerdotiorum quoque? Iam si narrem bella, a quibus | coeperint maiores nostri, et quo processerimus, vereor, ne nimio | insolentior esse videar, et quaesivisse iactationem gloriae pro | lati imperii ultra Oceanum. Sed illic potius revertar. Civitatem |

Column II

. illi sane novo . . . Divus Aug. no i set patruus Ti. | Caesar omnem florem ubique coloniarum et municipiorum, bo | norum scilicet virorum et locupletium, in hac curia esse voluit. | Quid ergo? Non Italicus senator provinciali potior est? Iam | vobis cum hanc partem censurae meae adprobare coepero, quid | de ea re sentiam, rebus ostendam. Sed ne provinciales quidem, | si modo ornare curiam poterint, reiciendos puto. |

Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium quam longo iam tempore senatores huic curiae confert? Ex qua colonia inter paucos equestris ordinis ornamentum, L. Vestinum, familiarissime diligo et hodieque in rebus meis detineo; cuius liberi fruuntur quaeso primo sacerdotiorum gradu, post modo cum annis promoturi dignitatis suae incrementa. Vt dirum nomen laetis taceam, et odi illud palaesticum prodigium, quod ante in domum consulatum intulit, quam colonia sua solidum civitatis Roma nec beneficium consecuta est. Idem de fratre eius possum dicere, miserabili quidem indignissimoque hoc casu, ut vobis utilis senator esse non possit.

Tempus est iam, Ti. Caesar Germanice, detegere te patribus conscriptis quo tendat oratio tua: iam enim ad extremos fines Galliae Narbonensis venisti.

Tot ecce insignes iuvenes, quot intueor, non magis sunt paenitendi senatores, quam paenitet Persicum, nobilissimum virum, amicum meum, inter imagines maiorum suorum Allobrogici nomen legere. Quod si haec ita esse consentitis, quid ultra desideratis, quam ut vobis digito demonstrarem solum ipsum ultra fines provinciae Narbonensis iam vobis senatores mittere, quando ex Luguduno habere nos nostri ordinis viros non paenitet? Timide quidem, post egressus aduetos familiares que vobis provinciarum terminos sum, sed destrictae iam comatae Galliae causa agenda est. In qua si quis hoc intuetur, quod bello per decem annos exercuerunt Divum Iulium, idem opponat centum annorum immobilem fidem obsequiumque multis trepidis rebus nostris plusquam expertum. Illi patri meo Druso Germaniam subigenti tutam quiete sua securamque a tergo pacem praestiterunt, et quidem cum ad census novo opere et in ad suam Gallis ad bellum avocatus esset. Quod opus quam arduum sit nobis nunc cum maxime, quam vis nihil ultra quam ut publice notae sint facultates nostrae, exquiratur, nimis magnos experimento cognoscimus.